

Ali Bāba et quadrāgintā lātrōnēs fabula Syriaca

In Ārabiā habitat vir, nōmine Ali Bāba. Ali Bāba est fīlius mercātōris et habet frātrem, Cassīmem. Postquam pater moritur, Cassīmis uxōrem dīvitem in mātirimōnium dūcit et mercātor fit. Ali Bāba uxōrem pauperem dūcit et lignum vēndit.

Quōdam diē, Ali Bāba in silvam it et lignum capere incipit. Subitō Ali Bāba vōcēs audit. Iam videt multōs virōs--quadrāgintā virōs. Virī sunt lātrōnēs! Lātrōnēs iam prope montem stant prō magnō saxō. Ūnus vir inquit, “Aperī sēsamum.” Subitō saxum sē movet! Post saxum est spēlunca.

Postquam lātrōnēs discēdunt, Ali Bāba ad saxum venit et quoque inquit, “Aperī sēsamum.” Saxum sē movet. In spēluncā est multum aurum. Ali Bāba ūnum saccum capit. Ali Bāba saccum ad uxōrem fert. Uxor, nōmine Fatīma, aurum ponderāre vult, sed lībram nōn habet. Itaque ad uxōrem Cassīmis it et inquit, “Volō cibum ponderāre. Habēsne lībram?” Uxor Cassīmis, Aisha, lībram dat.

Fatīma aurum ponderat et lībram ad Aisham refert. In imō librae est aurum, sed Fatīma nōn videt. Aisha aurum videt, sed nihil dīcit. Postquam Cassīmis domum venit, Aisha eī aurum ostendit.

Cassīmis ad Ali Bābam it et cogit eum dē spēluncā narrāre. Cassīmis statim ad saxum it et inquit, “Aperī sēsamum!” Saxum sē movet et Cassīmis intrat. Cassīmis aurum in multōs saccōs ponit et discēdere incipit. Sed iam spēlunca est clausa. “Aperī saxum!” Cassīmis clāmat. Saxum nōn sē movet. “Aperī ianuam!” Saxum nōn sē movet. Cassīmis consīdit.

Illā noctē, Cassīmis domum nōn redit. Aisha est perterrita et ad Ali Bābam it. “Cassīmis nōn est domī. Quaere eum!” Ali Bāba statim ad spēluncam it, sed Cassīmis in spēluncā est mortuus in quattuor partibus. Lātrōnēs eum interfēcērunt!

Ali Bāba corpus domum fert et Cassīmem sepelīre vult, sed nōn vult lātrōnes eum invenīre. Serva Cassīmis, Morgiāna, fert senem ad Ali Bābae domum. Senex corpus Cassīmis suit et domum redit. Cassīmis sepelītur.

Lātrōnēs ad spēluncam redeunt et corpus abest! Lātrōnēs quaerunt hominem quī erat in spēluncā. In urbe, senex magnā vōce inquit, “Herī corpus suī quod in quattuor partibus erat!” Ūnus lātrō audit virum et ad eum it.

Senex dūcit lātrōnem ad domum Ali Bābae. Lātrō in iānuā X scrībit et discēdit. Rediēns domum, Morgiāna in iānuā X videt et X in omnibus iānuīs scrībit. Lātrōnēs ad urbem veniunt, sed nesciunt quam domum esse Ali Bābae.

Postrīdiē, alter lātrō in urbem intrat. Senex iterum dūcit lātrōnem ad domum. Iam lātrō scrībit X in terrā prope iānuam. Iterum Morgiāna X videt et iterum Morgiāna X scrībit prope omnēs iānuās. Iterum lātrōnēs nesciunt quam domum esse Ali Bābae.

Iam dūx lātrōnum est irātus et ad senem it. Senex dūcem ad domum dūcit. Dūx nōn X scrībit, sed omnem diem domum spectat. Tandem, dūx redit ad lātrōnēs et iubet eōs intrāre vāsa. Iam dūx fert omnia vāsa in urbem.

Dūx iam vāsa ad domum Ali Bābae fert et inquit, “Mercātor sum.” Ali Bāba eum ad cēnam invitat et omnia vāsa cum lātrōnibus in domum fert. Dum Ali Bāba et dūx cenant, Morgiāna audit vōcēs in vāsīs. Hī virī volunt interficere Ali Bābam! Morgiāna oleum ferventem in vāsa ponit et interficit lātrōnēs.

Dūx ad vāsa it et inquit, “Tempus est,” sed omnēs lātrōnēs sunt mortuī! Dūx fugit. Ali Bāba corpora invenit et, postquam loquitur cum Morgiānā, eam laudat.

Post multōs diēs, dūx ad urbem redit et filium Ali Bābae invenit. Per multōs mēnsēs, dūx fit amīcus eī. Quōdam diē, filius dūcem invitat ad cēnam apud Ali Bābam. Ali Bāba virum non cognōscit, sed Morgiāna eum cognōscit.

Morgiāna cum cultrō saltāre incipit, sed subitō, cultrō dūcem interficit. Ali Bāba est attonitus, sed mox videt virum esse lātrōnem. Ali Bāba laetus dat Morgiānae filium in mātrimōnium.